



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Distinct. XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

**A N EASDEM PROPRIETATES A S.**  
*Signent Augustinus & Hilarius: & an iste sint quæ  
 dicuntur paternitas, filiatio, &  
 processio.*

## DISTINCTIO XXVII.

**H**IC queri potest, utrum proprietates quas Hilarius supra assignauit, scil. q. pater semper est pater, & filius semper est filius. sint illæ ex eadem proprietates quas Augustinus superius distinxit, dicens, proprium esse patris quod genuit filium, & proprium filii quod genitus est a patre, & spiritus sancti quod ab utroque procedit? Ac deinde, utrum & istæ sint illæ quæ dicuntur paternitas, filiatio, processio? Videtur quod non sint ex eadem proprietates quas ponit Hilarius, & illæ, quas ponit Augustinus enim ex eadem sunt, id est ergo patri esse patrem, & genuisse filium, quod utique quidam concedunt. Si autem hoc est, cui ergo conuenit ut sit pater, ei conuenit genuisse filium. Natura ergo diuina si pater est, genuit filium: si vero non genuit, pater non est. Sed quis audeat dicere, aut quod ipsa genuit filium, aut quod ipsa pater non sit? Si autem ipsa pater est, non est ergo idem dicere aliquid esse patrem, & gignere filium. Et ita non videbitur, una eademque esse proprietates.

*Responso, ubi ostendit easdem esse proprietates.*

*Hilar. ante  
medio m. li.  
12. de Trin.*

AD quod sine præiudicio aliorum dicimus, q. easdem proprietates notauit uterque, licet diuersis verbis. Quod n. Hilarius ait: ita intelligi debet: Proprium patris est quod semper pater est, id est, proprietas patris est, qua semper pater est: semper vero pater est, quia semper genuit filium. Ita & proprium filii est, q. semper filius est, i. proprietas filii est, qua semper filius est. Filius vero semper est, quia semper genitus est, ergo proprietas qua pater est, eum quia

quia semper genuit. & hæc eadem dicitur pater-nitas, vel generatio. Et proprietas qua filius semp̄ est filius, est, quia semper genitus est à patre: & hæc eadem dicitur filatio, vel genitura, vel nativitas, vel origo, vel nascibilitas. Sic & proprietas qua spiritus sanctus est spiritus sanctus, vel donum est quia procedit ab utroque: & hæc eadem dicitur processio. In præmissis ergo locutionibus eadem significatæ sunt proprietates.

*Quomodo non est omnino idem dicere esse patrem & genuisse, vel habere filium, ita & de aliis.*

## C

NEC tamen videretur nobis omnino esse idē dicere aliquid esse patrem & genuisse filium: vel aliquid esse filium, & habere patrem: vel esse spiritū sanctum, & procedere ab utroq.; alioquin pater nō esset nomen hypostasis, id est, personæ, sed proprietatis tantum: similiter filius, & spiritus sanctus & ita non per tria nomina significantur tres personæ. Ideoq; dicimus, quia patris nō tam relationem notat, sed etiam hypostasim, id est, substatiā significat: ita & filius, & spiritus S. Relationum vero vocabula, scil. paternitas, filatio, processio, vel gignere, gigni, procedere, ipsas tantum relationes, nō hypostases significant, siue habere filium & habere patrem: ut verbigratia, cū dicimus Deus est pater, nomine patris & relationē notamus, & diuinā hypostasim significam⁹: ut sit intelligētia talis, Deus vel diuina essentia, i. ille qui genuit, id est, hypostasis quæ habet filium: Similiter Deus est filius, i. hypostasis genita vel habens patrem. Ita etiā, Deus est spiritus S. id est, hypostasis procedens ab utroq.; siue ille qui procedit. Cū vero nomina relationum ponim⁹ in prædicatis, notiones ipsas tantum significam⁹, non hypostases: ut cū dicimu⁹, Deus genuit, i. habet filium, & De⁹ genit⁹ est, i. habet patrem. Et tunc oportet inteligi

ligi subjectis hypostases tantum non essentia quæ  
illis proprietatibus determinantur.

*Quod proprietates determinant hypostases, non substanciam id est, naturam.*

ILLÆ n. proprietas singulae singulis propriis co-  
*Ioan. Dam.* ueniunt personis, & per eas personæ determinan-  
*lib. 3. de or-* tur, & à se inuicem differant, sed à se non secedunt.  
*thodoxa fi-* Vnde *Ioan. Damasc.* Non differit ab inuicem hy-  
*de ca. 6. ad* postases secundum substantiam, sed secundū cha-  
*principium.* racteristica idiomata, id est, determinatiuas pro-  
*Cap. 7. eius-* prietas. Charateristica vero, id est, determina-  
*dem in prin-* tiua, sunt hypostaseon & non naturæ. etenim hy-  
*cipio.* postases determinant. Item esse quidē intēporali-  
ter & eternaliter dicimus diuinā verbi hyposta-  
sim, simplicem, omnia habentē quæ habet pater,  
ut eius homousion, id est, cōsubstantialē: nativi-  
tatis modo & habitudine à paternali hypostasi

*Lib. 3. cap. 5.* differentē, nūquam vero à paternali hypostasi se-  
*in princip.* cedētem. Idem apertius exprimens personales pro-  
prietates, in eodē ait: Differentiā hypostaseon, id est, personarum in tribus proprietatibus, id est, paternali & filiali & processibili recognosci-  
m°. Incessibiles autem ipsas hypostases, & indis-  
stabiles inuicem, & unitas quidem inconfusibili-  
ter; tres n. sunt & si unitæ diuisas autē indistanter.  
Etenim singula perfecta est hypostasis, & propri-  
a proprietatem, scil. existentiæ modum propriū pos-  
sideret; sed unitæ sunt substantia, & non distant ne-  
q; secedunt à paternali hypostasi. Ecce hic habet  
distinctas tres illas proprietates, quæ supra diuer-  
sis significatæ sunt modis.

*Quod sunt alia nomina personarum easdem proprietates*  
*notantia scilicet genitus genitor, ver-*  
*bun, imago.*

HIC non est prætermittendū, quod sicut pater  
& filius & spiritus s. nomina personarum sunt, &  
proprietates personales designant: ita etiā sunt &

alia

alia nomina personarum, i. quae ipsas personas significant, & earum proprietates denotant, & easdem quas & nomina praedicta: unde & relatiuè dicuntur, scilicet genitor, genit<sup>9</sup>, verbū, imago. Vnde August. in 5. lib. de Trinit. ait: Videndum <sup>Cap. 7. l. s.</sup> in principiis est, inquit, hoc significari cū dicitur genitus, quod significatur cum dicitur filius: Ideo n. filius quia genitus: & quia filius, utique genitus. Sicut autem filius ad patrem, sic genitus ad genitorē refertur: & sicut pater ad filium, ita genitor ad genitum. Idē <sup>Cap. 2. p. p.</sup> in 5. lib. de Trin. Verbum quidem solus filius ac principiū cipitur; non simul pater & filius, tanquam ambo sint unum verbum. Sic n. verbum dicitur, quomodo imago, nō autē pater & filius simul ambo imago: sed filius solus est imago patris, quemadmodū & <sup>Cap. 3. fere</sup> filius. Idē in 7. li. de Trin. Verbum secundum quod <sup>ad princip.</sup> sapientia est & essentia, hoc est, q̄ pater, quia verbum nō est pater, & verbum relatiuè dicitur, sicut filius. Item in eodē, Sicut filius ad patrē refertur, <sup>Lib. 7. de</sup> ita & verbum ad eum, cuius est verbū, refertur; cū <sup>Trin. cap. 1.</sup> dicitur verbum. Et propterea nō eo verbum, quo <sup>ad princip.</sup> sapientia dicitur: quia verbū non ad se dicitur, sed <sup>Ibid. paulo</sup> tantū relatiuè dicitur ad eum cui<sup>9</sup> est verbum, si <sup>inferius.</sup> cū filius ad patrē. Eo quippe est filius, quo verbū: <sup>Ibid. paulo</sup> & eo est verbum, quo filius: sapientia vero, quo es- <sup>superius.</sup> sentia: & ideo, quia pater & filius sunt una essentia & una sapientia. Item in eodem: Non est pater ipse verbum, sicut nec filius, nec imago. Quid autem <sup>Ibid. paulo</sup> absurdius quā imaginem ad se dici? Idem in 5. Di- <sup>princiū</sup> citur relatiuè filius, relatiuè dicitur verbum, & i- <sup>ca 13. lib. 5.</sup> mago: & in omnibus his vocabulis ad patrem re- <sup>de Trinit.</sup> fertur, nihil autem horum pater dicitur.

Breueriter summam colligit intelligentia

predictorum.

F

APERTE ostensum est, q̄ sicut filius vel genitus relatiuè dicitur ad patrē, ita verbū, & imago, & q̄ eo dicitur verbū siue imago quo filius, id est,

L

eadem

eadem proprietate siue notione dicitur verbū & imago qua filius: sed non eo quo verbum, dicitur sapientia vel essentia, quia non notione qua dicitur verbum, dicitur sapientia. Nam sapientia dicitur secundū essentiā, nō secundum relationem Generalis regula eorum quæ ad se, & eorum quæ relativè dicuntur: Quicquid enim ad se, simul ambo dicuntur: sed non ita in prædictis relatiuis.

*Cap. 2. statim post principium.*

EST & hic aduertenda quædam generalis regula eorum quæ ad se, & eorum quæ relativè dicuntur de patre & filio. Quicquid n. ad se dicuntur, vt ait August. in sexto lib. de Trin. non dicitur alter sine altero, id est, quicquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Ergo nec pater est Deus sine filio, nec filius sine patre, sed ambo simul Deus: sed non ambo simul pater, nō ambo simul filius, vel verbum, vel imago. An secundum substantiam dicatur Deus de Deo, & huiusmodi.

Hic quæricur cum dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine, & huiusmodi, vtrum dicantur secundum substantiam. nam secundum relationem constat ista non dici. Si vero secundum substantiam dicuntur simul ambo, scil. pater & filius, possunt dici Deus de Deo, lumen de lumine, secundum predictam regulam. Ad quod dicimus, quia licet De secundum substantiam dicitur & lumen, & sapientia, & huiusmodi, & nunquam relativè accipiuntur: aliquando tamē pro relativis, i. pro personis, sed non relativis, accipiuntur: vt cum dicitur. De⁹ genuit Deum, alterum pro patre, alterū pro filio ponim⁹: similiter cū dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. In aliis quoque locutionibus sæpe reperiuntur nomina essentiæ ad significationē personarum deducta: vt cū dicitur, De⁹ nat⁹, De⁹ mortuus, Deus passus, ubi filius tantū significatur. Ita & de

& de solo filio intelligitur, cum dicitur, Deus de Deo, & huiusmodi. Vnde August. quærens quo- Aug. lib. 6.  
modo huiusmodi dicatur, in 6. li. de Trinit. Quo- cap. 2. ver-  
modo de Deo, lumen de lumine dicitur? Non e- sus finem.  
njam simul ambo Deus de Deo, sed solus filius de  
Deo, scilicet patre: nec ambo simul lumen delu-  
mine, sed solus filius de lumine patre.

Quod tantum secundum nomen substantiæ dicitur illud de illo, non secundum nomina persona-  
rum.

ET est sciendum quod secundum nomina sub-  
stantiæ tantum dicitur illud de illo, licet ibi illa  
nomina substantiam non significant. Secundum  
vero eadem nomina personarum nunquam dici-  
tur illud de illo, sicut verbum de verbo, vel filius  
de filio, quia huiusmodi nomina diuersis perso-  
nis conuenire nō possent. Quod August. licet ob-  
scure, in eodem libro ita dicit. Hoc solum de eis  
dici non potest illud de illo, quod simul ambo nō  
sunt, id est, illo solo nomine nō possumus uti ad  
ostendendum vnu de vno, quod simul ambobus  
non conuenit: sicut verbum de verbo dici non  
potest, quia non simul ambo verbum, nec imago  
de imagine, nec filius de filio, quia non simul am-  
bo filius vel imago. Et sicut nomina substantiæ a-  
liquando intelligentiam personarū distinctè fa- Aug. lib. 6.  
ciunt, ita etiā interdum totius Trinitatis simul. c. i. in fine.

Vnde August. in eodem libro. ait, In patris no-  
mine, ipse pater per se pronunciatur. in Dei vero  
nomine, & ipse pater & filius & spiritus san-

ctus: ut cum dicitur: Nemo bonus ni-  
si solus Deus: quia Trinitas est

vnu solus Deus.

(.:)

L 2

QVOD